



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1735. usque ad annum 1737

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum [u.a.], 1786**

**VD18 90119347**

§. 63. Clemens Pontifex nova molestia affectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67868](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67868)

mio adscriptis, ita tamen, ut ex eo Sæc. XVIII.  
 tertia pars demeretur, qua sensim sol- A. C. 1736.  
 veretur, quod ex ædificiis ad Urbis  
 ornatum a Papa erectis solvendum su-  
 peresset. Præterea statuit, ut S. Petri,  
 ut vocant, Fabrica ex repositis suis pe-  
 cuniis centum & viginti aureorum mil-  
 lia eidem Nosocomio suppeditaret.

§. LXIII.

*Clemens Pontifex nova molestia  
 affectus.*

Vix Pontifex a gravibus hisce curis  
 respirare cœperat, cum identidem  
 in novas easque sat periculosas conii-  
 ceretur angustias: Res ita contigit:  
 Die undecima Februarii Donghius Cæ-  
 sarei exercitus supremus Vigiliarum  
 Magister ad plateam, quæ a *cursu* no-  
 men fortitur, vectus equestri decursio-  
 ne oculos suos pascere cogitabat; cum  
 autem curru suo præcedentium rheda-  
 rum ordinem insequeretur, & ad S.  
 Marci forum delatus ad alteram plateæ  
 partem currum suum insisteret, ac-  
 cidit, ut Fiscalis Pontificii Filius cum  
 rheda sua sese intrudere, & Donghii  
 currum antecedere pararet: id cum  
 hic permittere nollet, Sbirrorum Præ-  
 fectus ejus aurigæ præcepit, ut Fisca-  
 li

Sæc. XVIII.  
A. C. 1736.

li locum cederet: hoc audito Donghius ex Præfecto sciscitatur, qua auctoritate id suo Aurigæ mandare præsumeret? eo autem respondente, se Ministrum esse Romani Gubernatoris, hunc vero Pontificis, se igitur utriusque nomine id præcepisse: Hoc responso offensus Donghius, Præfecto reposuit, se esse Cæsaris Ministrum idque patere ex tessera, dein Sbirrum effusis quibusdam probris rejecit; Altera autem die, cum in ædibus suis quosdam legionis suæ Tribunos convivio exciperet, domi se continere, jubetur, secus, si inde excedere præsumeret, decem aureorum millium multam penderet. Percepto hoc mandato Donghius in questum ibat ad Cæsaris Administrum Comitem de Harrach, qui Coiro Gubernatori & Cardinali status Pontificii Secretario, significari iussit, Donghium esse Cæsari ab obsequio, caverent igitur, ne hunc adeo indignum in modum haberent. Verum frustranea erat Comitis hortatio; cum enim Donghius vespere curru vectus, domum reverti vellet, in publica platea, inspectante magna populi frequentia ad communes carceres rapitur, & in ergastulo, ubi coquus quidam inclusus hærebat, per totam noctem detinetur, altero autem die ad separatam cubile transfertur. Eo

Eo comperto Comes citatis equis Cur- Sæc. XVIII.  
 forem Viennam cum literis misit, & A. C. 1736.  
 Donghium nulla mora liberum dimitti  
 jussit, quo factò pariter misso ad Cæsa-  
 rem Cursore Pontifex significabat, id se  
 penitus incscio factum, seque ad omnem,  
 quæ peteretur, præstandam satisfac-  
 tionem paratissimum esse: Acceptis  
 hisce Papæ literis Imperator transmis-  
 sa ad Comitem Harrachium epistola ei-  
 dem mandavit, ut pro illatæ injuriæ  
 reparatione postularet, quatenus Ro-  
 manæ Urbis Gubernator publice ad  
 Comitis Palatium accederet, & im-  
 providi mandati sui culpam deprecare-  
 tur: Sbirrorum vero Præfectus, cunc-  
 tique ejus satellites, qui ejus jussa exe-  
 cuti essent, ad triremes damnarentur,  
 & denique Fiscalis, si hujus violentiæ  
 participem se reddidisset, promerita  
 poena plecteretur: Id omne Pontifex  
 exacte adimpleri curavit, quamvis  
 Sbirri, qui jam ad transtra alligati hæ-  
 rebant, per Cæsaris clementiam a suo  
 supplicio liberati fuissent. Ita Clemen-  
 tis prudentia tot tamque periculosos tu-  
 multus aliorum imprudentia concita-  
 tos feliciter composuit.